



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvngensis Ecclesiae, Ab Anno Christi  
MDCXXVIII.**

**Brogberen, Johannes**

**Coloniae Agrippinae, 1657**

Cap. XI. De Praepositis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14298**

ligantur : quæ qualis ipsis post hanc vitam futura sit , ubi ad novissimum quadrantem solutio exigetur , ipsis cum timore & tremore cogitandum relinquatur , <sup>1</sup> si annos æternos in mente habere velint.

5 De beneficiis vero & ministeriis filiorum impudice natorum hoc observari volumus , quod tum de jure <sup>2</sup> communi Canonico , tum sanctissime à Concil. <sup>3</sup> Tridentino est statutum. & ne ullus ad officium quodcumque sine Nostro speciali consensu posthac admittatur.

C A P. IX. De Testamentis Clericorum, & Executoribus ultimarum voluntatum.

Volumus etiam & mandamus , ut manifestes seu Executores Testamentarii quorumcumque Clericorum seu beneficiatorum Civitatis & Diocesis Nostræ Osnabrugensis , de dispositione facta , bonisq; inventis infra unius mensis spatium , post uniuscujusque obitum , & deinde de executione perfecta , infra unum annum , à tempore obitus sequentem , Nos vel Officialem Nostrum certiozem redant.

C A P. X. De habitu Clericorum & Barbis.

1 A D Clericalis ordinis præstantiam , vitam , decentiam ac honestatem spectat , competens statui & ordini , corporis exterior habitus ; qui personarum qualitatem , & distinctionem à communi plebe , designet ; & dignum justumque est , ut , cujus stipendiis vivunt , ejus quoque habitu , testera , insigni- que utantur. Hinc omnino volumus , ut ad militiam Christi & ministeria illius sponsæ Ecclesiæ adscripti , istius militiæ & Regis gloriæ insignia <sup>4</sup> præ se ferant , ac coronam Clericalem aperte gerant ; Capillorum vero & Barbæ rasura tali utantur , ut nec comæ nimium producantur , aut in occiput rejiciantur , nec Barbæ & mystaces ita alantur , ut ex superiore labro in alas excrescant , aut ultra ipsum labrum in os propendeant ; ne Sacerdotes , corpus Dominicum & sanguinem accepturi , per contactum barbæ , irreverentiæ peccatum incurrant ; & ut hæc in aliis Clericis sacræ militiæ adscriptorum , non verò sæculo militantium , symbola sint.

2 Ecclesiastici vestibus longis utantur , <sup>5</sup> secundum status sui exigentiam , non nimis preciosis , neque superfluo cultu ornatis , aut aliqua levitate aut singularitate notandis , in colore aut brevitate nimia , aut scissura , aut forma peregrina ; adeo ut omnis superbia , vanitas & curiositas absit ; honestas vero , frugalitas & simplicitas , Clericali ordini conveniens , ubique sit conspicua.

3 <sup>6</sup> A crapula vero & commestationibus , ludis prohibitis , & quibuscunque commerciis sæcularibus , serio abstineant.

C A P. XI. De Præpositis.

P Ræpositos <sup>7</sup> , tanquam præcipuos Ecclesiarum Prælatos , ex Iurisjurandi à se præstiti religione , illa præcipue cura tangere debet ; ut res , bona , jura , & privilegia Ecclesiarum defendant ; bonas consuetudines observari , malas eliminari curent ; & , quæcumque ad utilitatem & pacem Ecclesiarum quovis modo pertinent , curare & promovere , eaque ab omni damno & injuria vindicare & conservare satagant. Et quia ex nobilioribus membris Cathedralis Ecclesiæ Nostræ desumuntur , & ampliores fructus Ecclesiasticos percipiunt , Nobisq; ex officio conjuncti sunt , ea diligenter curent , ad quæ , ratione officii sui & Iurisjurandi , sunt obligati ; in rebus verò difficilioribus & quæ vires eorum superant , ad Nos & nostram Episcopalem auctoritatem recurrant.

C A P. XII. De Decanis.

1 D Ecanorum ea sit cura , <sup>8</sup> ut , quæ ab omnibus & singulis Canonicis , Vicariis , ac templi Officiatis ac ministris debentur , in residentia personali , ordinum debitorum secundum beneficii aut officii qualitatem susceptione , divino officio , vitæ honestate , decenti habitu , fidei integritate , fidelitate & officii executione , &c. diligenter observentur ; Contumacium vero , inobedientium , & negligentium excessus , secundum vigorem disciplinae Ecclesiasticæ corrigantur ; crimina vero publica , luxuriæ , ebrietati , infrugalitati , aleæ , rixis , carnis vitio & ignaviæ deditorum , secundum censuram Canonum , seclusionem à sacris , fructuum subtractionem , ac similibus modis puniantur.

2 Ad hoc capitula , quæ vocantur disciplinae , multum valebunt , si cum nomine rem ipsam conferent , ac in iis de vitæ Canonice morumque disciplina & rebus sacris serio & efficaciter tractetur.

C A P. XIII. De Archidiaconis.

A Rchidiaconorum <sup>9</sup> , qui in subsidium & relevamen sollicitudinis nostræ Episcopalis , tanquam ministri cooperatores , admissi sunt , eam cum primis curam esse volumus , ut Nos opere & officio juvent ; in Synodis suis Archidiaconalibus scopum & finem rectum diligenter observent ; ad Dei gloriam , honorem & utilitatem Ecclesiæ , & animarum salutem omnia dirigant ; commissarios suos , viros inculpatae vitæ , in sacris ordinibus constitutos , graves , modestos ac Deum timentes , habeant :

R 4

6 Ad Roman. 13. Tot. tit. de vit. & honest. cleric. & præf. tim. c. à crapula. c. clericis. il. 2. & seq. ex literis ex. & in Clem. dist. 35. per tot. & Can. fir. ante omnia. Conc. Trid. sess. 22. de reform. c. 1. Stat. Conc. Archiep. Col. c. 3. Stat. Adolphi 3. Arch. Colon. an. 1549.

medio scru. tio. Que- rela est. Can. immovamus. & per tot. dist. 60. Conc. Col. an. 1549. sub Adolphi III. medio 3. S. vide- mus. & an. 1536. sub eod. p. 3. c. 2. quæ 15.

9 tot. tit. de off. Archid.

1 Pf. 76. v. 6. 2 tot. tit. de fil. presbyt. ord. 3 Sess. 25. de ref. c. 15. 4 can. prohibete. & canon. lic. cat. il. 3. dist. 23. Can. duo sunt. 12. g. 1. c. si quis. c. clericus. & c. l. r. i. s. de vii. & honest. cler. 1 Can. non licet. dist. 23. Clem. 2. de vit. & honest. cler. Conc. Trid. sess. 14. de reform. c. 6. Conc. Provinc. Col. sub Conrado Archiep. c. 4. & 9. Stat. Sifridi. A. Colon. c. 1. Stat. Henric. A. Colon. de anno 1307. c. 14. & an. 1321. c. 2. & 3. Stat. VValra- mi. A. Colon. cap. 4. & 18. Stat. VVilhel. A. Col. c. 1. 5. & 30. Stat. Frid. A. C. l. c. 4. Conc. Provinc. sub Herm. 5. c. 26. p. 2.